







17

19

3.

4.

5.

6.



1719.

1. Beckius, Caspar Sebastianus: De lege non obligante.

? Quæst. 1719<sup>a</sup> 1751.

2. Beckius, Caspar Sebastianus: Commentatio . . .  
in legem rom. Pad: si quis imperatori maledixerit.

3. Brucknerus, Guilielmus Hieronymus: De codice Theo.  
dosiano ejusque in Corce Justiniano usu.

4. Brucknerus, Guil. Hieron., Fac. jur. protocoanus:  
ad Cectionem salernensem, Jacobi Christophoro  
Gerhardo . . . recitandum . . . innotet perterque  
Christianis non esse licitum jurare, nisi in  
causa necessitatis . . . ostendit.

5. Brucknerus, Guilielmus Hieronymus: De prescrip-  
tione pignorum vel hypothecarum

6. Brucknerus, Guil. Hieron., Fac. jur. Decanus: ad Cectionem  
cur. a Corale Henrico Rebeckoff . . . habendum iuri-  
sdict. et . . . nonnulla: De prescriptione ejusque temporibus

1719.

proponit.

7. Brucknerus, Guil Hieron, Fac. jur. decanus: ad  
lectionem cursoriam a Georgio Hurwico Zakusio  
... habendam insertat simulque: De latinitate  
corporis juris civitatis, in pura satirique protata  
sit, Dissertit.. 12.  
13.
8. Friesen, Fr. Bernhardus, Fac. jur. decanus: ad  
lectionem solennem a... Johanne Theophilo  
Bonagio... habendam Programma inserta  
Forium. 14.  
15.  
16.  
17.
9. Friesen, Fr. Bernh., Ord. jur. decanus: Christophorus  
Haurici Gerslebenbergii... lectionem solennem insert.  
est. programma ab auspiciati. 18.
10. Friesen, Fr. Bernhardus: De ordine opponendarum  
a reis exceptionum. 25 sept. 1719 - 1744. 19.  
20.
11. Friesen, Johann, Bernhardus: De tabelae et succes.  
sionis legitime nexu. d.

1719

12. Friese, Johannes Bernhardus : De thesauris arte magica  
invento.
13. Hartmann, Johannes : De jurisdictione in sua et suorum  
causa.
14. Kromayer, Augustus Gottfriedus : An jure magistratus  
diversitatem religionum tolerare possit ?
15. Pragemannus, Nicolaus : De patientia juridica.
16. Pragemannus, Nicolaus : De jure episcopiorum.
17. Schroeterus, Dr. Christ. : De successione conjugum  
juxta statuta Gothana
- 1842b Schroeterus, Dr. Christ. : De pecunia habitationis  
viduarum.
19. Stevoglius, Dr. Hadrianus : De tumoribus tunicatis.
20. Stevoglius, Dr. Hadrianus ; med. fac. decanus : Tractatus  
ad inang. disertationem Godefridi Samantis Nitschdici :  
de tumoribus tunicatis, cui proleus de monordia  
praemittitur.



1719.

21. Hume, Friedrich Gottlieb: Programm de cathedra  
doctorali, quo ad disputationes publicas jurisprudentialis  
Struonianae . . . committiones invitatur.
22. Walchius, Dr. Georgius: De praemiis veterum sophis-  
tarum, rhetorum atque oratorum.
23. Wedelius, Georgius Wolffgangus, Fac. med. Decanus:  
Propempticon inaug. De vita artista. II (Disputationi  
inaug. Caroli Gottliebii Heermannii praemissum)
24. Wedelius, James Josephus, Fac. med. Decanus:  
Propempticon inaug. de fornicum emendatione II.  
(Disputationi inaug. Johannis Erhardi Vonaueri  
praemissum).
25. Wildvogelius, Christianus: De sententia condicionali
26. Wildvogelius, Christianus, Publ. jur. Decanus: De responsione  
sine interrogatione . . . Programm inaug. (lecturam tra-  
jurali Nicolai Gerichte praemissum.



1719.

27. Wildvogelius, Christianus: De revocatione feudi illo-  
rum, qui in eius alienationem valde consenserunt.

28. Wildvogelius, Christianus, Collegii juridici decanus:  
De scripturis territoribus ad l. 14 § 4 C. de iudic.  
Programmum inaug. (lectioni inaug. Caroli Henrici Hey-  
denreich praemissum)

29. Wildvogelius, Christianus: De praecipuis impedimen-  
tis vel obstaculis iustitiae.







*Fr. Roth: De legatione obliqua.*



G. B. num. 21.

D 3

1719, 1

DISSERTATIO IVRIDICA,  
DE  
**LEGE NON OBLIGANTE,**



GERMANIS:

Von denen Befehlen welche nicht verbinden.



QVAM

PRAESIDE

**CASPARE ACHATIO BECKIO,**

ICTO CELEBERRIMO IENENSI,

DIE SEPTEMBR. ANNI MDCCXIX.


PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMISIT

R. A.

**ERNESTVS FRIDERICVS BOCH,**

DURLACO-MARCHICVS.

D. 25.



KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE




I E N A E,

REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1751.








I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIONIS  
DE  
LEGE NON OBLIGANTE

CAPVT I.

§. I.

 Antiquissimorum Sententia Philosopho-  
rum comprobatur novimus, verba  
non solum commune quoddam hu-  
manæ societatis vinculum, verum et-  
iam certissima cogitationum rerumque signa esse,  
propterea que penitiorum in unaquaque disciplina  
mereri contemplationem: compara clarissimum

A 2

Eccar

Eccardum, in *Historia studii etymologici lingvæ Germanicæ, cap. I.* & jungit huic litteratissimum Hispanorum, Franc. Sanctium, in lua, quam vocavit, *Minerva, lib. I. cap. I. & passim locorum.*

§. II. Intellexerunt hoc, si qui alias, optime primi Romani Juris conditores: eamque ob causam ut Stoicos in aliis quam plurimis, ita in vocum cum maxime indagatione, studiosissime sunt æmulati. Sane enim Ulpianus (qui aliquibus venator nominum audit) *libro I. Institutionum suarum, ex quibus lex I. D. de Just. & Jure* desumpta est, positurus universi juris fundamenta, sic exorsus est, *Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat.* Illud durius, quod subjungit, *jus esse à justitia, appellatum: caustatus, jus esse artem boni & equi.* Nam ad præcepta Grammatices respicientibus, justitia à jure, & jus à jubendo dicitur; sed nolim tamen id circo reprehendi Ulpianum, Philosophorum potius, ut apparet, quam Grammaticorum etymologiam hac parte sequutum; illi namque sectantur origines rerum, hi verborum. Igitur sicut Grammatici justitiam à jure, jusque à jubendo derivant, sic Ulpianus, Philosophos imitatus, jus à justitia appellatum esse existimat, hac adjecta ratione, quod justitia ars sit  
boni



boni & æqui. Interim ex his perspicuum est, sine vocis notatione nunquam plane intelligi, quid jus sit, ac nisi prius intelligatur, quid sit illa, à qua ortum & substantiam capit, iustitia, sive æquum & bonum, quod pro iustitia promiscue usurpatur *in dicta lege 1.* Consule inelutum Juris civilis Doctorem, Wilhelmum Maranum, *in, de Æquitate sive Iustitia, Commentario primo*, eidemque haud secundum nostræ ætatis nomen, Gerhardum Noodt, *in Commentario ad Digesta, Lib. 1. Tit. 1.*

§. III. Ceterum constat, non unius solummodo Ulpiani fuisse, quod diximus, institutum. Namque L. Aelius Gallus J.C. multos conscripsit libros de verborum, quæ ad jus pertinent, significatione. Gajus quoque J.C. plures exaravit libros de origine vocabulorum, ut liquet ex Gellio, *Noct. Attic. lib. 11. cap. 17.* qui septimum illorum laudat: neque enim dubitandum viderur, quin Gellius sit accipiendus de Gajo J.C. cum ille fuerit Philologis atque Grammaticis valde familiaris, ut præcipue colligitur ex Servio, interprete Maronis. Præterea Paulus quoque in libro, quem inscripsit, *de variis Lectionibus*, accurate vocum notationes explicavit, ut indicant fragmenta, quæ inde supersunt, *in lege 18. D. de Institor. act. L. 1. D. de Oper. libert.*

*libert, § L. 22. D. de Exception.* Ad hæc de Q. Antistio Labeone pertriturum est Gellianum illud, *Noct. Attic. Lib. 13. c. 10. Latinarum quoque vocum origines rationesque percalluerat, eaque precipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur.* Additque Gellius, Labeonem explicationem verborum fuisse profecutum tribus potissimum libris *Posteriorum*; quorum etiam mentio fit in lege §. 2. D. ad L. *Ful. pecul.* Adeat, qui vollet, M. Aurel. Galuanum, de *Usufructu cap. 1.* ubi ex Quintiliano etiam probat summum fuisse Juris-Consultorum circa verborum proprietatem studium, *quoniam questio, hoc est, interpretatio juris omnis, aut verborum proprietate, aut equi disputatione, aut voluntatis conjectura contineatur.*

§. IV. Quæ cum ita sint facile apparet, studium illud verborum maximi esse momenti ad sapientiam juris comparandam. Qui enim poterit aliquis artem intelligere, cujus ignorat linguam? quid in re obscura ratiocinabitur, cui vix sensus communis est integer? sane non alia causa est, ob quam Corpus Juris Romani non ab omnibus illico cum legitur, intelligitur, quam quia plerique affveti sunt ad vulgarem illam & quotidie occurrentem Latinitatem, proprietates linguæ Latinæ,  
phra-

phrases & idiotismos, non percipiunt, doctrinaeque de verborum juridicorum significatione non satis gnari sunt. confer Rebhan. in *Dedicat. Hologët. Jur.* Et hoc quidem non modo civilis Romanorum juris intuitu verum est, in quo sinistrariorum phrasum interpretatio saepe etiam magnorum virorum existimationi nocuit; sed & cum reliquis jurisprudentiae partibus haud secus comparatum novimus, ut scilicet singulae quasi proprias sibi velint, quas vocant, Grammaticas. In primis autem in feudalis & publici juris studio frequenter evenit, ut rerum quae amissae ac tempore penitus mutatae sunt, primava indoles ac velut memoria, unice conservetur in prisco nomine. Sed haec in praesenti pluribus perlequi nihil attinet. Conferri meretur D. Praesidis *Tract. de Paribus Reipubl. Ministri & Vasalli Juribus, cap. 1.*

§. V. Ceterum neque contrarium his, quae diximus, sensit Celsus JC. in *lege 17. D. de LL.* cum ita scribit: *Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem.* Quamvis enim innuere videatur, neglectis verbis solam legis sententiam esse perquirendam; maxime quod non magis permittendum sit, ut in fraudem legis quid fiat, quam ut contra legem; fraus vero hic legibus fieri

Q.  
ud,  
um  
pue  
eba-  
tio-  
iffi-  
ntio  
vo-  
ubi  
ris-  
stu-  
uris  
spu-  
stu-  
d sa-  
terit  
am?  
nsus  
est,  
ibus  
rique  
ccur-  
tinæ,  
phra-

fieri dicatur, cum salvis earum verbis mentem & sententiam legislatoris quis circumvenit, *lege 29. & 30. D. de LL.* dignosci autem non possit, an in fraudem legis quid factum esset, si legis verba teneremus, non etiam earum vim & potestatem: tamen re vera Celsi intentio haec fuit, quod scientia juris ac legum non modo à grammatica verborum cognitione; sed etiam à legalis scientiæ intelligentia dependeat. Latet enim in citatis Jcti verbis græcismus, per quem voces istæ subaudiuntur, *non solum, sed etiam*; in quarum vicem Celsus adhibuit illas *non, sed*, adeoque sententia ejus est: *Scire leges, non hoc solum esse, verba earum tenere, sed etiam civiliter illas intelligere, hoc est, secundum secretiorem Legislatoris sensum, quem ille vim ac potestatem appellat.* Quo ipso tamen studium proprietatis verborum adeo non excluditur, ut potius omnino præsupponatur, quippe quod verba maxime probabile sint signum de voluntate Legislatoris. Quam ob rem in omni interpretatione, legum, testamentorum, & conventionum, verborum quidem prior, rerum vero potior habenda est ratio. Confer. Aton. Fabrum *in Rationalib. ad di. l. leg. 17. D. de LL.* Galvanum *de Usufr. c. l.*

§. VI. Atque hæc veluti prolium me sen-  
him

sim ad rem meam manuduxit, atque ad observati-  
 onem moris illius, qui à prisca *Nominalium*, quos  
 vocabant, secta, reliquus est in Academiis, erudi-  
 tisque sollemnis, nimirum ut de re quapiam com-  
 mentaturi ab etymologia verborumque significa-  
 tione tractationem suam exordiantur. Verum  
 hic mihi met ipsi contrarius esse videor. De lege  
 enim non obligante disputaturus sum. Atqui su-  
 perioribus exemplis & rationibus inductus in ety-  
 mologiam legis & obligationis inquirens, hanc tra-  
 ctationi meæ prorsus adversam esse cerno. Sane  
 enim in ipso legis vocabulo aliquid inesse videtur,  
 quod obligationem inducat, indicetque. Ita ut  
 quanquam civis etiam privatus alterum per con-  
 ventionem valide obstringere possit, tamen hujus  
 quoque obligationis vis ac potestas ultimato à le-  
 ge illa, *que pactis & promissis stare, fidemque da-  
 tam religiose servare precipit*, unice dependeat.  
 Deinde quocumque etiam significato *legis* vocabu-  
 lum accipias, prout sane multis modis hoc usurpa-  
 tur, extra tamen controversiam habendum est, à  
*ligando*, hoc est, *obligando* (von verpflichten) le-  
 gem denominatam esse: cont. Ciceroem *Lib. I.  
 de LL.* Quid, quod veteribus pro ipsa obligatio-

B

&  
 29.  
 in  
 ne-  
 ta-  
 ntia  
 um  
 gen-  
 rbi  
 non  
 dhi-  
 Sci-  
 sed  
 um  
 n ac  
 um  
 po-  
 erba  
 legis-  
 one,  
 ver-  
 nda  
 alib.  
 h.  
 sen-  
 lum



ne lex persape sumatur : quo sensu Propertius  
*Lib. IV. Eleg. 9. v. 54. canere videtur*

*... admisse si vis me ignoscere culpe,  
 accipe qua nostra formula legis erit, &c.*

*Indixit leges : respondi, ego legibus utar.*

§. VII. Manifestior evadet proposita dubitandi ratio, si ipsam legis definitionem, prout quidem ea communiter accipitur, consideremus. Hanc Grotius ita tradit, *quod lex sit regula actionum moralium, obligans ad id, quod rectum est.* Ubi quidem figurata est *regule* vox, sed propterea tamen minus respuenda, quod causam obscuritatis, quæ alias prohibet, figuratis in definitione locutionibus uti, nullam præbet. Regula enim sive norma quid sit, cuius facile constat : perspicuum vero quoque est, eadem prorsus ratione actiones humanas ad præscriptum legis attemperandas æstimandasque esse, quæ lineæ alicujus mensura secundum regulam expenditur. *Morales autem actiones* sunt actiones hominis voluntariæ, cum imputatione suorum effectuum in vita communi spectata. Pufend. *de Jure Nat. & Gent. Lib. I. C. V. §. 7.* Ubi etiam rationem nominis reddit, videlicet, quod ab istis actionibus, prout bene aut male ab aliquo obeuntur, seu prout ad legem, tanquam

not.

normam suam congruunt, vel non congruunt, ita moratus aliquis denominatur, ipsaque animorum inclinationes, ex frequentibus resultantes actionibus, mores appellantur; inde factum, ut ipsae actiones humanae moralium vocabulo designentur: utut de cetero actiones hominis seu naturales, ab humanis seu naturalibus, atque hae rursus à moralibus seu legalibus, magnopere discriminentur. *Rectum vero* in Grotiana definitione est, quod vel naturae, vel legislatoris placito consentaneum, prout scilicet jus generatim aliud naturale est, aliud voluntarium. Pufendorffius, *Lib. I. cap. VI. §. 4.* paullo aliter describit legem, nimirum, *quod sit decretum, quo superior sibi subiectum obligat, ut ad istius praescriptum actiones suas componat.* Rursus alium, quem de lege habent conceptum, alia ratione exponunt: prout suum cuique semper videtur esse pulcherrimum.

§. VIII. Mea heic nihil interest: sufficit enim, omnes tam veteres quam recentiores Doctores in eo convenire, quod necessaria velut atque essentialis legis affectio sit, ut obliget. Obligationem vero quidam definiunt, per qualitatem moralem operativam, qua quis praestare aut pati aliquid tenetur. Rectius vero & magis perspicue

Romani juris auctores obligationem vocant, vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei præstandæ, vid. *princ. Inst. de obligation.*

§. IX. *Vinculum juris*, metaphorica & à vinculis corporeis delumta locutione, obligatio dicitur, quoniam per eam frantum quasi morale injicitur nostræ agendi libertati, ut in diversam, quam quo illa ducit, partem tendere recte non possimus. Ac licet multa alia voluntati, ut in alterutram partem vergat, momentum adferant; hoc tamen obligatio præ istis habet peculiare, quod illa velut naturali aliquo pondere voluntatem premant, quo remoto hæc ad indifferentiam ultro redeat: obligatio vero moraliter voluntatem afficiat, & peculiari qualitate eandem intrinsece imbuat, ut in suas actiones homo ipse censuram exercere cogatur, ac malo se ipsum dignum judicare, ni præscriptæ legis normæ conformis sit actio edita. Quo ipso etiam sufficiens momentum obligationi inesse intelligitur ad flectendam voluntatem; quippe cum nihil sit, quod necessitatem, quidquam agendi aut omittendi, menti humanæ, de futuro deliberanti, afferre queat, præter cogitationes boni & mali, aliis aut nobis ex iis que facimus proventuri; siquidem sua voluntati libertas

con-



constare debet, ac tales edenda sunt actiones, quae agenti recte imputari possunt. Pufendorf. *de Jure Nat. & Gent. Libr. I. cap. VI. §. 5.*

§. X. Ex dictis itaque constat, omnem obligationem in se habere moralem quandam necessitatem, qua quis ad dandum aliquid, vel faciendum, vel ad patiendum etiam obstringitur: in unaquaque autem lege juris illud vinculum inesse, vel ex ipsa perspicuum est legis definitione. Quam ob rem frustranea, ut apparet, est *de lege non obligante* disputatio; & vel ea ex re in cassum suscepta, quod argumentum hoc contradictionem in adjecto manifestissimam involvere, ac si non plane *σιδηρόξυλον*, saltem *παράδοξον* esse videatur.

§. XI. Advertari etiam instituto meo graviter censeri potest Modestinus in *lege 7. D. de LL. Legis*, inquit, *virtus est imperare, vetare, permittere, punire.* Omnes enim leges *imperativis* verbis sunt conceptae: hinc est, quod verba imperativa dicuntur *legitima*: & legatum definitur in Corpore Ulpiani *Tit. XXIV. de Legat. quod legis modo, id est, imperativae relinquitur.* Neque *Lex XII. Tabul.* permittit civibus Romanis testari, nisi *legas sint*, hoc est, legem fecerint imperando. *conf. legem 120. de Verb. Signific.* ibique Joh. Goeddeum

in Commentario doctissimo. Et ob id dicitur, fidei-  
 commissa esse legibus incognita, nec ullum juris  
 vinculum habere, quia fiunt precativis verbis, &  
 quibus uti eum qui legem faciat, aut facere possit,  
 indignum est, & à legis virtute alienum. add. Dn.  
 Schultingius, in Jurisprudencia vetere Ante-Justi-  
 nianaea, ad cit. Ulp. locum.

§. XII. Vetare autem proprium est earum  
 legum, quæ speciatim prohibitoriae dicuntur :  
 quarum usus est circa eas res, quæ jure communi  
 permixtae sunt, si non prohibeantur : cujus generis  
 ad leges spectat regula in lege 41. §. D. de Procurat.  
 fundata ; quidquid prohibitum non est censetur per-  
 missum : seu, licet, quod non est vetitum : nisi sci-  
 licet tale sit, quod à legislatore inconsulto potius  
 omissum, quam permixtum, videatur. Hoc e-  
 nim casu merito obtinet vulgatum illud : quod le-  
 gibus omissum est, non debet omitti religione magi-  
 stratus ? Non enim possunt omnes casus, qui quan-  
 doque inciderint, legibus aut tenatusconsultis  
 comprehendi : sed cum in aliqua causa sententia  
 eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad  
 similia procedere, atque ita jus dicere debet, Lege  
 10. §. 12. D. de LL. Hinc licet infames non expres-  
 se prohibeantur officio assessoris fungi, tamen ad  
 hoc

hoc admittendi non sunt, *L. 2. D. de officio Assessoris.*

§. XIII. Ceterum *permittere*, de quo etiam Modestinus *e. loc.* proprium est earum legum, quæ permissivæ appellantur, quarum usus est circa eas res, quæ alioquin fieri non possent, nisi permitterentur: cujusmodi sunt leges de hereditatibus sive testamentariis, sive legitimis. *conf. Tit. Instit. quibus non est permissum facere testamenta.* Istitis legibus hæc regula convenit: *quidquid speciatim permissum non est, perinde censetur illicitum, ac si foret prohibitum.* Nulla etenim prohibitione opus est, ubi sufficit *non permissio*. Itaque si quis quærat, cur naturales non possint testamento heredes institui, extra casum legis ultimæ *Cod. de Natur. lib. nec succedere ab intestato*, extra casum *Authentice*, Licet, *Cod. eod.* neque rursus peregrini, deportati, & similes: ratio reddenda erit, non quia sunt prohibiti, sed quia non sunt permissi. *Conf. Anton. Faber in Rationalib. ad cit. L. 7. Dig. de Legib.* Porro etiam cum lex aliquid permittit, imperat: permittit enim imperando, id est, eam permissionem dando verbis imperativis *Leg. 1. ad Legem Falcid.* Et quamquam potest aliquid esse, quod lex civilis neque vetet, neque permittat, compara *legem*

dei-  
juris  
, &  
ssit,  
Dn,  
usti-  
  
rum  
tur:  
nuni  
neris  
urat.  
per-  
li sci-  
otius  
oc e-  
od le-  
magi-  
quan-  
sultis  
tentia  
est, ad  
Lege  
pres-  
en ad  
hoc



gem 28. §. 2. D. ex quibus causis major. XXV. *quis in integ. rest.* tamen nulla in eo legis virtus consistit.

§. XIV. Denique sicut cujushbet legis perfectæ duæ sunt partes, una per quam definitur, quid sit faciendum, quidve omittendum; altera per quam indicatur, quodnam malum sit propositum ei, qui præceptum interimit, & interdictum facit; quarum illa pars definitiva, hæc vindicativa, seu sanctio, & ab hac lex *sancta* appellari solet: *lege 41. D. de Pœn. §. 10. Inst. & L. 9. §. 3. D. de Rerum divis.* vid. Pufendorff. *de Offic. Hom. & Civ. L. I. cap. II. §. VII.*: ita punire quoque ad legis virtutem pertinere, recto judicio in loco proposito declarat Modestinus. Imperfecta enim lex est, si quid fieri prohibeat, nec tamen puniat, quod secus patratum erit, sive pro nullo declarando, vel saltem rescindendo quod contra factum, sive aliqua pœna in contra facientem constituta. Cujus rei exemplum adfert Ulpianus statim in principio sui Corporis, cum ait: *Imperfecta lex est, veluti Cincia, que supra certum modum donari prohibet, exceptis quibusdam cognatis, & si plus donatum, sit non rescindit*: adde iterum Schulting. *l. c. & Fied. B. numerum in Comment. ad Legem Cinciam, cap. III. n. §. & seqq.* Anton. Fabrum *in Rational. cit. loc.* atque observa,

observa, ad exemplum illarum legum, quæ §. *finali Instit. de his qui sui vel alieni juris sunt*, itemque §. *1. Inst. de vi bonor. rapt.* alibique passim habentur, regulariter omnes debere compositas, adeoque ad pœnam quoque esse obligatorias.

§. XV. Ad extremum superioribus addi posset, quod prudentissimus Oratorum, *Libro III. de Legibus*, ait: *Magistratum esse legem loquentem, legem autem mutum magistratum.* Quæ sane præclara est legum & magistratum confusio, atque felicissima boni ordinis auspicia, & fundamenta optima reipublicæ non potest non inferre. Procul enim dubio alia omnia offendas potius, sicubi nulla ejusmodi confusio rempublicam temperat continerque. Vid. Hulderic. ab Eyben, *in Dissert. de Missione in Possess. cap. I.* Sed mittam nunc ista, & cum legem *mutum magistratum* appellet Tullius, hoc saltem volo, annon vel ex eo colligi possit fundamento, tantum abesse ut lex sine obligatione detur, quantum absit, ut magistratus sine jurisdictione ac sine legitima sententiæ executione consistere queat? Verum enim vero, his omnibus necquidquam obstantibus, ad ipsam, *de Lege non obligante*, tractationem, alacri studio nunc sum accessurus.

C

CAPVT



CAPVT II.

§. I.

**N**on potest rotunda definitione comprehendi, quænam ex omni parte requirantur ad hoc, ut lex in animis civium vim & potestatem suam exerat. Neque vero etiam certæ cancellis regulæ includere licet, quibus ex causis eveniat, ut majorem melioremque sui partem illa humanarum actionum norma haud raro perdat. Fas itaque fuerit, quod hac via non procedit, alia exordiri ratione. Inductiva videlicet utar methodo; quæ & ad demonstrandum est facillima, & ad rerum veritates intelligendas pronissima: adeoque variis exemplis seu casibus in medium prolatis instituti mei fundamentum incrustabo.

§. II. *Prima* itaque legis non obligantis species est, quæ juri divino, eique vel naturali, vel in scripturis sacris revelato, contraria esse deprehenditur: utpote præcipiendo quod à summo Legislatore est prohibitum, vel prohibendo quod ab illo præceptum esse intelligitur. Debent namque omnes leges humanæ subordinatæ esse legibus diuinis; illarumque redolere indolem & analogiam: & hæc demum respublica bene ordinata dici mere-

meretur, quæ constitutionibus lege divina vallatis gubernatur. Leges siquidem humanæ, origine pariter atque auctoritate tales, aliquando mendacia pro veritate, injustitiam pro justitia habent: Deus autem solus undique verax & justus in suo jure permanet. Contra hoc ergo si quid injungatur, pro impossibili habendum est, argumento aureæ illius sanctionis, quæ proposita *in lege 15. de Condit. Instit.* Impossibile autem legum nullam esse obligationem, extra omnem positum est controversiam. Constat vero non solum de lege scripta, hoc est, expressa summæ in republica potestatis voluntate præscripta, sed de consuetudine quoque, quam communiter legem non scriptam appellant, quod diximus, accipiendum esse. Quam ob causam etiam in omni consuetudine, ut rectæ rationi sit consentanea, maxime requiritur: quod adeo verum est, ut consuetudinem recta ratione destitutam, nulla cujusque temporis firmet præscriptio, nullaque prorsus in ea insit obligatio, secundum vulgatum illud Proverbium: *Hundert Jahr unrecht, ist nicht eine Stunde recht.* Laudandus hinc maximopere nobis est, Carolus V. Imperator, Germaniæ, qua juris criminalis sanctionem, Justinianus, quod *artic. CCXVIII. Constitutio*



*tationis suæ*, absurdas ejusmodi & iniquas consuetudines prorsus sustulit, v. g. illam qua fiscus, accusatione contra furem instituta, res furtivas sibi vindicabat; item istam, qua fiscus sibi vindicabat currum cum equis & mercibus, si forte subversus hominem opprèsserit; nec non hanc, qua fiscus sibi vindicabat miserandas naufragorum reliquias; quod ultimum suo etiam tempore jam prohibuit Fridericus Imp. in *Auth. Navigia, Cod. de Furtis*. Sed exemplorum prolixa commemoratione in re per se satis clara minime opus est.

§. III. Ceterum uti duplex illa famosiorque juris acceptio, qua vel *pro lege* sumitur, aut, si mavis, pro complexu legum, vel *pro facultate morali*, seu pro attributo personæ, ad jus etiam divinum, referenda est: ita facile patet, solummodo de jure divino præceptivo, eoque vel affirmativo vel negativo, intelligendum esse, quod supra proposui. Quocirca illud tamen pro certo habendum, fas & integrum esse supremis in civitate imperantibus *prohibere facta, legibus divinis permitta*. Ita, verbi gratia, maximam mihi dat jus naturæ libertatem in contrahendis nuptiis; lex vero civilis & humana ecclesiastica variis eam modis restringit: similiter *feras, pisces, aves capere, & capiendo ac-*  
qui-



quirere, naturaliter cuique licet; verum ob utilitatis publicæ rationem civili lege hoc interdictum novimus. add. Tabor. in *Collat. Jur. Rom. & Hungar. P. 2. Sect. 1. §. 13.* Præclare in hanc rem Grotius, in immortalis opere, *L. 2. cap. 2. §. 5.* scribit: *Lex civilis quamquam nihil potest præcipere, quod jus natura prohibet, aut prohibere, quod præcipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare, quod naturaliter licebat, atque etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum vi sua antevertere.* Atque hinc multum interest, ut in illis, quæ juris naturalis aut gentium esse dicuntur, probe dispiciamus, utrum sint ex jure præceptivo, an permissivo. Permissivum enim pro eorum, qui rebus publicis præsunt, arbitrio, ex sua natura varium est, & mutabile, ideoque abrogationes, temperamenta & mutationes in dies recipit, quales tamen jus præceptivum nullatenus admittit. vid. Seldenus, *de Mari claus. lib. 1. cap. 3.* Et hoc est quod dicit Cujacius, *Lib. 4. obs. 2.* mores ubique passim jus gentium circa venandi potestatem subegisse. Consule pluribus Casparem Zieglerum in, *de Juribus majest. Lib. 2. cap. 14. §. 21.* nec non in præfatione Commentationis *de Scto Macedon.* eidemque omnino junge Mævium, in *Pródromo,*



seu, ut nunc audit, *Nucleo Juris Nat. & Gent. Inspect.* 6. ubi, de potestate civitatum & imperantium circa jus naturæ, egregie disputat.

§. IV. *Alterum* legis non obligantis exemplum est, si Princeps falsa circa religionem divinitus revelatam dogmata proponeret, novasque credendi formulas civibus præscriberet. Quantumvis enim majestatis civilis est, curare, ut vera religio in animis subjectorum obtineat, & ne quis impune quidquam adversus eam committere possit, quippe quod illa firmissimum quoque est societatis politicæ viuculum, tamen quatenus cives profitentur divinitus patefactam salutis ac religionis formulam, hoc est, quatenus membra sunt ecclesiæ invisibilis, eatenus non dependent ab humana potestate, sed à solo ecclesiæ auctore & capite CHRISTO, & ab ipso revelato evangelio, unica salutis regula, in quam nullum jus ulli creaturæ, ne quidem cœlesti, sub anathematis poena, competit, teste S. Paulo Apostolo, *ad Galat. 1. v. 8.* adde Zieglerum, *de Jur. Majest. Lib. 1. cap. 14. §. 11. & cap. 16. §. 2.* Schilterum, *in Instit. Jur. Can. Lib. 1. Tit. 1. §. 6.* Neque etiam ratio hujus assertionis in obscuro est: habet enim quidem Princeps, cui summa reipublicæ salutis cura commissa est, ea omnia,

omnia, quæ ad istum scopum obtinendum sunt necessaria; proptereaque etiam ista religionis pars, quæ ad civilem tranquillitatem refertur, & circa externam publicamque sacrorum ordinationem maxime occupatur, ipsius imperio subiecta est. Verum uti æternæ beatitudinis consequendæ causâ non sunt extractæ civitates, neque etiam vel Deus majestati civili eam concessit potestatem, ut in credendis quidquam posset disponere, vel subditi intellectum & conscientias suas eodem modo, quo voluntatem, arbitrio summi imperantis civilis submiserunt; denique non intellectui, sed voluntati saltem præscribi possunt leges, & ipsa religio seu fides delicatissima res est, quæ argumentis & rationibus quidem persvaderi, legibus autem externis, pœnalibusque sanctionibus imperari non potest: Ita sine magna difficultate colligitur, ad interna sacrorum, quæ vocantur, hoc est, ad spiritualia ecclesiæ invisibilibus jura, civilem legislationem non pertinere. vid. pluribus Herm. Conring. *de Majestatis civil. auctor. circa sacra.*

§. V. *Tertia* legis non obligantis species est, si illa contra honestatis publicæ rationem proposita, aut ad evidenter stulta & absurda referatur. **Quamquam enim hæc non est subditorum licentia,**

t. In-  
tium  
kem-  
vini-  
e cre-  
tum-  
reli-  
sim-  
offit,  
cieta-  
pro-  
ionis  
eccle-  
mana  
capite  
unica  
ra, ne  
mpe-  
adde  
11. §  
Lib. 1.  
tionis  
os, cui  
ft, ea  
omnia,

tia, ut in rationes legum inquirere possint; multo minus ferendum, ut legislatorem stultitiae dament; praeterea quoque leges errore licet industriae obligandi potestatem habeant, lege 39. *D. de Legibus*, denique stultae & absurdae leges sine laesione conscientiae servari possint, immo, ut apparet, servari etiam debeant, quoniam dominis obtemperandum est non solum bonis & aequis, sed etiam pravis ac mirabilibus, *1. Petr. 2. v. 13.* tamen in legibus evidenter stultis atque absurdis, ut & publicae honestatis rationi manifestissime repugnantibus, veram obligationem inesse, recte mihi negare videtur Grotius, *de Jure belli & pacis L. 2. Cap. 14. §. 12. n. 2.* dummodo illa legum stultitia & absurditas ita sit manifesta ac evidens, ut non latae credi possint à rege vel principe sanae mentis, sed ab homine demente ac velut delirante: vide interpretes ad citatum Grotii locum, & in his praecipue Joannem Tesmarum, qui monet, impias leges non obligare, etiam tali casu existimandum esse; quia Deo magis obediendum sit quam hominibus.

§. VI. *Quartum* exemplum legis, vera obligandi virtute destitutae est, si haec aperiissime in fraudem rei atque utilitatis publicae vergat. Sa-  
ne

ne enim salus publica suprema lex esto; huiusque  
 vel obtinendæ vel promovendæ causæ, tum aliã  
 omnia civitatis jura, tum maxime potestatem no-  
 motheticam princeps exercet. Hinc etiam omnis  
 lex ex usu reipublicæ est intelligenda, cui si nocet,  
 lex non est. Neque enim quod in favorem publi-  
 cæ salutis introductum, in illius odium detorqueri  
 debet. Intelligo autem hoc loco non solum ejus  
 generis leges, quæ directo & principaliter ad inte-  
 ritum civitatis comparatæ sunt, v. gr. quod civis  
 concivi omnis generis injurias impune inferre pos-  
 sit; item, quod propter minutissimos lapsus ac  
 errores cuncti ad extrema supplicia rapiendi sint,  
 &c. sed etiam illas huc refero leges, quæ ab initio  
 ita fuerunt sancitæ, ut commodum publicum om-  
 nino ob oculos habuerit earum conditor, postea  
 vero temporis accidit, ut illæ mutatis civium mo-  
 ribus ac institutis, reformatoque reipublicæ statu,  
 vim & salubritatem suam exerere amplius nequi-  
 verint, sed ex utilibus redditæ sint noxiæ. Adde  
 Gellium, *Noct. Attic. Lib. 20. cap. 1.* Liv. *Hist. Lib.*  
*34. c. 2.* Cicer. *1. Rhetor. 38.* *Quintum* tractationis meæ argu-  
 mentum est, si in causâ legis efficiente quidquam  
 reprehendatur, quod obligandi potestatem impe-  
 dit.

mul-  
dam-  
indu-  
D. de  
e lac-  
ut ap-  
minis  
quis,  
8. ta-  
is, ut  
repu-  
mihi  
L. 2.  
itia &  
latae  
s, sed  
inter-  
cipue  
leges  
esse;  
nomie

vera  
issime  
t. Sa-  
ne



diat. Praescribitur scilicet omnis lex à superiore,  
 id est, tali, cui non solum iustae vires sint, malum  
 aliquod representandi contrariantibus, sed & cui  
 iustae causae sint, quare postulare queat, ex suo ar-  
 bitrio voluntatis nostrae libertatem circumscribi.  
 Non itaque à sola potentia irresistibili, merisque  
 cogendi viribus imperium, & quae ab hoc depen-  
 det, legislatoria potestas, deduci recte potest;  
 prout quidem in libro *de Cive cap. 15. §. 5.* mendose  
 contendit Hobbesius, cui *jus & vis* vix litterarum  
 transpositione differunt, quemque proinde ex me-  
 rito refutavit Pufendorffius, ille optimus Grotii in-  
 terpres, & felicissimus Hobbesii censor, in *de Jure  
 Nat. & Gent. Lib. 1. cap. 6. §. 9.* Justis itaque cui-  
 quam leges praescribendi causis omnino opus  
 est; siquidem qui nullam rationem allegare no-  
 vit, quare mihi invito obligationem velit impin-  
 gere, praeter solas vires, is terrere quidem me pot-  
 est, ut effugiendo majori malo ipsi tantisper parere  
 fatius ducam; sed eo metu remoto nihil amplius  
 obstat, quo minus meo potius quam illius ar-  
 bitrio agam: quae sunt verba laudati Pufendorff-  
 ii, in plenissimo rectorum doctrinarum libello,  
*de Off. Hom. & Civ. lib. 1. cap. 2. §. 5.* Hinc vero  
 facile adparet, cujusvis potius alterius rei, quam  
 legis vere obligantis indolem habere, quod ab illo  
 sancit

sancitum est, qui jure ac nomine superioris censerī proprie haud potest, utut de cetero non contemnenda sit illius auctoritas. Nisi tamen hic jussu ac mandato Principis quidquam nobis injungat, eundemque ad hujus generis ministerium exercendum legitime constitutum esse, in commune constet.

§. VIII. Ex dictis vero hoc etiam colligitur, quod neque decreta eorum, qui superioritate quidem, ut ita loquar, praefulgent, legislationis autem potestatem soli non exercent, sed concurrentiam aliorum hac parte admittere tenentur, pro legibus vere obligantibus haberi possint. Quam ob rem licet Imperium Romano-Germanicum verae repraesentet *formam* monarchiae, omniaque majestatis jura in territorio Romano-Germanico haerentia proprie ad Caput Augustissimum spectent; quia tamen *modus administrandi* republicam, ejusdemque jura exercendi, fere ab omni tempore monarchico-aristocraticus, hoc est, ita comparatus fuit, ut *in exercitio* plerorumque omnium majestatis jurium Sacri Romani Imperii Status atque Ordines concurrenti jus ac potestatem habuerint; propterea manifestum, atque publicis etiam tabulis comprobatum est, solam Maje-

D 2

statem

riore,  
salum  
& cui  
uo ar-  
scribi.  
isque  
epen-  
otest;  
ndose  
rarum  
ex me-  
otii in-  
le Jure  
ne cui-  
opus  
are no-  
impin-  
nepot-  
parere  
mplius  
lius ar-  
ndorf.  
bello,  
nc vero  
quam  
ab illo  
fanci



statem Caesaream, exclusis invictisque Imperii Ordinibus, legem publicam, omnes cives efficaciter obligaturam, condere non posse; sed ad valorem ejuscemodi legis omnium aut certe plurimorum Procerum requiri consensum: *conf. Instrum. Pac. Westph. Osnabr. Art. VIII. Si gaudeant, ejusque interpretes.* Interim tamen legum universalium promulgationem solius Imperatoris nomine fieri certissimum est, atque res ipsa loquitur. *vid. Limnaum, ad Proem. Aur. Bull. Obs. 31.*

§. IX. Præterea hoc etiam ex superioribus apparet, minus recte se habere doctrinam eorum, qui jus aliquod gentium statuunt, gentes omnes per modum legis proprie sic dictæ obligans, & à jure tamen divino naturali aut revelato prorsus discriminatum. Namque si gentes non habent superiorem præter Deum, manifestissimum est, illas non obligari aliis, nisi legibus divinis. Proinde etiam non possum aliud jus gentium admittere præter jus naturale, applicatum scilicet ad integras gentes: hoc quidem modo, ut quemadmodum jus naturale, officia erga homines reliquos complexum, aliud est absolutum, aliud vero hypotheticum, hocve rursum vel ex hypothesi certi status, vel certi instituti huma-



humani obligans; similiter cum jure gentium comparatum sit, nimirum ut vel absolute & promiscue quaslibet gentes erga quaslibet obstringat, quo loco habenda sunt præcepta, de non lædendo, de æqualitate naturali custodienda, de humanitatis officii exhibendis, & de pactis servandis; vel ut solummodo pro ratione certi status aut certi instituti inter gentes recepti obligationem producat. Quod etiam sensu jus gentium non male dividitur in primævum, & secundarium, quorum illud respondet juri naturæ absoluto, hoc hypothetico; illudque describit Justinianus §. 1. *Inst. de Jure Naturæ, Gent. & Civil.* cum ait: *Quod vero naturalis ratio inter omnes gentes constituit, id apud omnes populos per æque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur; hoc vero idem §. 2. cit. tit. definit, quod usu exigente, & humanis necessitatibus postulantibus, gentes humana sibi constituerunt.* Quibus verbis non hoc innuitur, quasi omnes gentes, veluti cives in democratia aliqua, actu in unum cœtum convenerint, & jus hoc ita constituerint; sed quod usu exigente & humanis necessitatibus postulantibus, quædam gentes certos status adventitios, atque instituta certa excogitaverint; quæ cum successive aliis quoque gentibus

bus placērent ; & tranquillitatis ordinisq̄e hu-  
 mani generis magnopere interesset, ut ab omni-  
 bus, aut saltem moratoribus, semel recepta placi-  
 ta constanter servarentur ; supervenerunt illico  
 quasi jura ad naturæ humanæ mortaliumque ge-  
 neris conservationem à supremo Numine per na-  
 turalis rationis dictamen præscripta, atque ex illa  
 hypothesi ad custodiam & observationem illorum  
 in commūne salutarium institutorum gentes obli-  
 garunt. Qua ratione factum, ut quod applau-  
 dente naturali jure successive placere omnibus cœ-  
 pit, id totius quasi orbis omniumque gentium de-  
 cretum fuisse, existimaretur. add, Alber. Gentil.  
*Lib. 1. de Jure Belli, cap. 7.* Franc. Connanus, *Com-  
 ment. Jur. Civ. Lib. 1. cap. 6.* Georg. Franzk. in  
*Comment. ad Tit. Dig. de Just. & Jur. n. 133.* Præ-  
 cipue vero ad illustrationem hujus rei facit acutis-  
 simus Vinnius, in *Comment. ad Instit. Tit. de Jure  
 Nat. Gent. & Civil. §. 1. ubi num. 4.* præclare sic  
 scribit : *Ut ratio vel simplex est & pura, qua sine  
 discursu judicat, & Græcis ὁρθὸς ἢ νόσις dicitur ;  
 vel composita & comparata, qua per discursum mu-  
 nus suum exequitur, ex collatione diversarum re-  
 rum aliquid colligens, Græcis διάνοια, & λογισμός: ita  
 & duplex est jus gentium ; unum quod ex simplici  
 illa*

illa ratione fuit, seu intellectu *vontinō*, cujus juris sunt cultus Dei, reverentia parentum, neminem ledere, suum cuique tribuere, ab alieno manus abstinere, aliaque ejuscemodi principia practica, quibus ultro sine argumentatione aut demonstratione assentimur, & justa esse sine agitatione mentis intelligimus: alterum, quod à ratione composita, seu intellectu *diavontinō*; quod discursum & ratiocinationem habet, atque ex causa demum aliqua, aut hypothefi & comparatione alterius rei justum esse intelligitur: cujus generis sunt ea omnia, quae ad vitæ communis commoda, conjungendasque inter se respublicas & gentes, à viris sapientibus excogitata, in usum omnium gentium, aut plerarumque pervenerunt; quam in rem elegans exemplum est in lege *r. D. de contrab. emt.* Haec haecenus Arnoldus Vinnius. Quaecumque ita sint, liquido apparet, omnem vim & auctoritatem juris gentium, primaevi pariter seu absoluti, & secundarii seu hypothetici, ex dictamine naturalis rationis, simplicis vel compositae, aestimandam esse. Omne autem dictamen naturalis rationis humanae naturae felicitatem spectans, quum sit praeceptum juris naturae, quoniam scilicet Deus per rectam rationem nihil dictitat frustra:

con-

cōsequitur inde, omne jus gentium v̄re ac p̄prie dictum ad jus naturae referendum, hoc est, divini juris partem esse, legemque quam, loquentes de hominum singulorum officio, naturalem dicimus, applicatam totis civitatibus, nationibus, seu gentibus, vocari *jus gentium*: de cetero autem jus gentium à jure divino discriminatum, vel plane nullum dari, vel saltem per modum legis non esse obligatorium: quemadmodum etiam jus gentium hypotheticum, quod diximus, barbaras gentes eodem modo, quo moratiores, rationisque rectae ductum sequentes, non obligat. vid. Hobbes. *de Cive.* Scharrok. *de Off. secundum Jus Nat. cap. 10.* Zentgraf. *de Obligat. Jur. Gent. art. 8. §. 2.*

§. X. Sexto loco observandum est, quod lex non sit obligatoria, nisi intuitu eorum, quibus data est. Itaque non dubitandum, quin fallantur Judaeorum illi, qui existimant, etiam alienigenis, si salvi esse vellent, subeundum fuisse legis Hebraicae jugum. Hinc etiam colligimus, nulla parte legis Hebraeae, qua proprie talis est, nos Christianos obligari; quia obligatio extra jus naturae venit ex voluntate legem ferentis. Deum autem voluisse, ut alii, quam Israelitae, ista lege tenerentur, nullo indicio potest deprehendi. Non igitur,

tur, nos quod attinet, probanda est illius legis abrogatio; nam nec abrogari potuit eorum respectu, quos nunquam obstrinxit. Sed ab Israelitis ablata est obligatio, quoad ritualia quidem statim, postquam Evangelium coepit annunciari; quoad cetera vero, hoc est forensia, postquam populus iste, per excidium urbis, & desolationem præcisam, sine spe restitutionis, populus esse desiit. vid. Grot. *de Jure B. & P. L. I. cap. 1. §. 16.* ibique Ziegler, *in Notis.* Ceterum quæ diximus, de lege Hebræa proprie sic dicta sunt accipienda. Quam ob causam ea lex, quæ sollemnior quidem ritu Israelitis promulgata, sed in novo fœdere repetita, atque ad usum ecclesiæ Christianæ à corruptionibus Judæorum fuit repurgata, sine controversia moralis est, seu universalis, hoc est, Christianos pariter atque Judæos obligans, in oppositione scilicet ad leges Hebræorum particulares. Facit etiam ex jure Romano ad hujus loci illustrationem *lex finalis D. de Jurisdic. ibi: Extra territorium jus dicenti impune non paretur.*

§. XI. *Septimo* vera obligandi virtute destituta censetur lex, ubi cessat unica & adæquata illius ratio; secundum vulgatum illud: cessante ratione legis, cessat ipsa lex; seu, ut alii efferunt:

E

caussa

caussa finali adæquata omnino & in totum cessante, cessare jus. Est namque ratio legis (finalis scilicet, quæ neque cum causa impellente, neque cum legis mente confundi debet) forma & quasi anima legis; hac ergo si destituatur, omnis protinus intercedit obligandi vis. Et quamquam, ut aliqui tradunt, non de essentia, sed de bonitate tantum legis est, ut cum ratione sanciat; neque etiam necessum, ut de ratione ea omnibus subditis constet, cum jubere, tanquam divinitus emissa vox, non disputare, lex debeat: tamen exinde saltem hoc sequitur, quod ligandi potestatem habeat lex, tametsi sine certa vel expressa ratione, ex solo legislatoris arbitrato, sit proposita: quod autem non cesset obligatio legis, tametsi de ratione pariter ejus rationisque cessatione liquido constet, id quidem recto consecutionis filo ea ex re minime deducitur. Ceterum audiendus tamen hic videtur Sigism. Scaccia, in *Tract. de Commerc.* §. 1. q. 7. n. 511. & n. 521. sequentem in modum distingvens: Aut lex intendit remove non solum actum seu effectum, sed etiam illud, per quod potest ad illum actum deveniri, & sic lex intentius agit; aut vero intendit solum disponere super actu. Priori casu non sufficit cessatio ipsius actus seu effectus, ut ces-

set

set lex, sed requiritur etiam cessatio illius, per quod deveniri potest ad illum actum; alias, si illud etiam non cesset, non cessat lex, & idcirco puniuntur alicubi deprehensi cum armis, etiamsi armis illis neminem offenderint, nec constet, quod velent offendere, quia ex cessatione actus non cessat lex; cessaret autem lex, si cessaret ipsa potentia; & ideo si ferens arma esset infans, vel esset illorum armorum venditor, in quibus prælumeretur cessatio potentiae ad offendendum, cessaret lex ipsa. Posteriore casu sufficit cessatio actus, licet non cessaverit potentia; quo modo cessat lex, quæ, ut emendetur frater, præcipit correctionem fraternam, si emendatio nulla speretur. Add. Ziegler. *de Jure Majest. Lib. 1. c. 5. §. 95.* Consulto vero locutus sum de ratione legis *unica & adequata*; qua propter si, ut sæpe accidit, plures legis fuerint rationes, non statim una earum cessante, reliquæ expirant, aut minus validæ sunt, ad sustinendam legis efficaciam. Ita juris feudalis rationi & analogiæ magis consentaneum esse sustineo, fœminam in feudo franco non succedere, ut hoc à servitiurum præstatione immune sit. Sunt namque plures causæ, quæ regulariter fœminas à feudis propriis repellunt.

§. XII. *Octava* legis non obligantis species esse mihi videtur, si ea per promulgationem in subjectorum notitiam non fuerit legitime deducta. Sane quidem etiam ante promulgationem vera existit lex; atque hæc talem solummodo declarat. Verum obligationis tamen vim à publica legis propositione pendere, certissimæ rationis est; quæ ad id quod juste ignoras, faciendum omittendumque te adstringi, absurdissimum simul & injustissimum pronunciat. Observandum vero hic est, ne quidem continuo à promulgationis momento legem valide obligare. Quemadmodum enim olim apud Romanos tempore mediæ, quam vocant, jurisprudentiæ, lex ante rogari non poterat, quam trina promulgatione, tribus continuis nundinis, seu novendinis, distincta, & ita XXVII. diebus facta, proposita palam & in publico esset: similiter Justinianus, cum, lege regia lata, in principem omnia majestatis jura translata, constitutionesque in vicem legum strictè sic dictarum surrogata essent, ne inique lex noviter lata, necdum in plenam omnium subditorum notitiam deducta, obligatione sua actus illorum obrueret, terminum obligatorium constitutionibus præfixit, ut nimirum à duobus demum post factam promulgationem



nem mensibus, plenum robur viresque subditos obligandi habeant; nisi expresse aliud spatium comprehendatur, tunc enim specialis & singularis principis dispositio, ut alias communiter, derogat juri generali. conf. *Novell. 66. cap. 1. Nov. 58. princ.* add. *Christin. Vol. 2. Dec. 52. n. 5.* Philippi, in *Usu pract. Inst. L. 1. Eclog. 11.* ubi, quod etiam in constitutionibus Saxonice terminus duorum mensium observetur.

§. XIII. Præterea sicut non infima laus legum posita in eo, ut faciles sint & clara, ita non erraverit meo judicio, qui *nono* loco superioribus adjungit, quod non sit obligatoria sanctio, quæ tam obscure est atque perplexe concepta, ut nec legi à civibus possit, nec intelligi, etiamsi de cetero promulgatio ejus sollemniter facta, & tempus quoque transit, intra quod notitia legis istius pervenire ad illos potuit. Spectat huc elegans canon 2. Dist. IV. ubi Isidorus: *Erit, inquit, lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat: nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Adde legem 11. §. 3. D. de *Instit. Act.* ibi: *pro-*

*scribere palam sic accipimus, claris litteris, unde de plano recte legi possit; ne quis caussari possit ignorantiam.* Exemplum ejus generis legis profert Svetonius *in Caligul. 41.* Ceterum sicut ignorantia legis inevitabilis seu invincibilis tollit peccatum; ita etiam cum aliquali negligentia conjuncta delictum minuit. vid. Grot. *Lib. 2. c. 20. §. 43.*

§. XIV. Decimo destituta obligandi virtute censetur lex, quæ in observantiam nunquam evaluit. Propterea quidam Doctores, præter sanctionem & promulgationem, ad essentiam legis tertium hoc requirunt, videlicet ut moribus utentium adprobetur, adeoque qui legi in hæreere velit, receptionem ejus probare teneatur. Citari etiam in hanc rem solet *lex 32. in princ. §. 1. de Legib.* ibi: *de quibus causis scriptis legibus non utimur, &c. itemque, Nam ipsæ leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt.* Similiter Gratianus, §. *Leges, Dist. IV, Leges,* inquit, *instituantur, cum promulgantur, firmanur, cum moribus utentium approbantur: sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt; ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur.* add. Felin. *in cap. treuga, num. 13. X. de Treug. §. Pac. Dom. Covarruv. Lib. 2. resol. 16. n. 6.*

Carp.

Carpzov. *P. 11. Decif. 107. n. 3.* ubi de statutis tradit, ea ex communi interpretum voto non aliter obligare, quam siusu ac observantia fuerint recepta & approbata: usque adeo, ut statuta non observata nullas habeant vires, nec qui ea observare recusant, transgressores sint & dicantur. Verum hæc cum prudentia & discretionem sunt accipienda. Sane in republica monarchica talismodi populi acceptatio legis scriptæ minime requiritur, sed à sola legislatoris potestate nomothetica, illa vim obligandi habet, adeoque etiam observari debet, cum hæc sit intentio principis, ut observetur: neque in arbitrio privatorum est, jussum superioris non observare; namque hoc ipso nova lex priori contraria statueretur, & sic in effectu legislationis potestas non penes principem, sed apud populum esset. vid. Ziegler. *in Disp. de Ratihabit. §. 28. & de Jur. Majest. L. 1. cap. 5. §. 55.* illustr. Dn. Coccej. *in Jure controuv. ad Tit. D. de LL. & Sct. Q. 2.* Contra, uti etiam in monarchia & aristocratia consuetudinis quidem vis ex usu & observantia maximam dependet partem: ita demum in democratia verum mihi esse videtur, quod citati contendunt auctores, nimirum necesse esse, ut observantia ac moribus ipsis lex adprobetur. Atque talem etiam reipublicæ

de de  
igno-  
obfert  
ran-  
cca-  
jun-  
43.  
irtu-  
me-  
san-  
legis  
uten-  
velit,  
tiam  
egib,  
mur,  
aussa  
sunt.  
, in-  
ntur,  
enim  
bodie  
s con-  
X. de  
6. n. 6.  
Carpz



licæ Romanæ statum ob oculos habuisse videtur Julianus *in cit. lege 32. D. de LL.* Statuta autem civitatum municipalium ea propter ex observantia usque præcipuam habent potestatem, quod legum nomine venire non possint, ante quam à Principe fuerint confirmata. Hoc autem factò non ab observantia demum ac usu momentum obligationis petendum esse, recte monet Carpzovius, *cit. loc. n. 20. & seq.*

§. XV. Undecima legis non obligantis causa est, si hæc vel expressa principis voluntate, vel tacita, per consuetudinem contrariam, abrogata sit, virtutemque suam amiserit. Quod priorem modum attinet, dubium non est, nullam legem humanam tam firmam esse, tantamque vim obligandi habere, quin legislator aut ejus successor, qui æqualem aut eandem potius cum ipso auctoritatem habet, eam penitus tollere & abrogare possit; sive prohibendo, ne posthac ista lex observetur, sive aliam novam, priori contrariam legem proponendo. Tamen enim legislator legem justam & communi bono utilem absque justa causa rescindens aut reficiens minus recte faciat; maxime quod in rebus novis constituendis evidens esse debeat utilitas, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum

æquum visum est. *L. 2. de Const. princ.* ipsam tamen legis abrogationem validam esse, & legem ita abrogatam omni obligandi virtute destitui, nemo est, qui negare possit. Neque ratio ejus in obscuro est: etenim homo quivis jus habet mutandi decreta sua, quæ in vim pacti vel contractus non eva-  
luerunt; ergo multo magis summus imperans. Atque hoc adeo expeditum est, ut ea quoque lex, quæ clausula, ne abrogari possit, munita, nihilo secius mutari possit. Conferatur pluribus sæpe mihi laudatus Ziegler. *de Jur. Majest. Lib. 1. cap. 5. §. 89.* Hertius, *in Disput. de lege, clausula, ne abrogari possit, munita, Opusc. Vol. 1. Tom. 3.*

§. XVI. Tacito Principis consensu abrogatur lex per consuetudinem. Rectissime enim, ait Zieglerus citato loco, etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed & tacito ipsius consensu per consuetudinem abrogentur, *l. 32. D. de LL.* Consuetudinem autem hic non accipimus privative, quatenus significat non usum; sed quatenus continet implicitam consuetudinem contrariam. Non enim propterea illico sublatae sunt leges, quod populus eis aliquandiu usus non sit; cum fieri possit, ut aut longo tempore casus ejusmodi non evenerit; aut nemo ex ea lege jus si-

IVX. 2

F

bi



bi reddi postulaverit. Itaque tum demum antiquantur leges, cum populus diu contrario jure usus est. Existimat equidem Franc. Connanus, libellorum supplicum in regia Parisiensi olim magister, *Comment. Jur. Civil. Lib. 1. cap. 10. n. 9.* *Ista nugis simillima esse. Nam, ait, desuetum esse dicitur, quod desit esse in usu: ergo factis non opus est; sufficit legem non observari, idque impune: velut, lex feratur, ut omnes nomina sua quotannis deserant apud magistratum; id semel atque iterum, & tertio aut etiam saepius factum, si post omittatur, desuetudine lex illa antiquabitur.* Verum hoc casu non tam abrogatur, quam potius negligitur lex; at si contraria accesserint facta, majus in illis ad abrogandam legem inesse robur, ipsa rei natura dicitur. Quare secundum Connani sententiam nemo quisquam secure contra legem abrogatam aliquid patriverit, relicta quippe pro re nata semper est magistratui coercendi facultas. Neutiquam ergo solus non usus, sed usus demum contrarius jus abrogare valet: pertinetque huc illud Imperatoris in *lege 27. C. de Testam.* quod non mutatur, quare stare prohibeatur. *junge Ant. Nattam, Tom. III. Conf. 575. n. 35. Ant. Matthxi, de crimin. ad L. 27. T. 6. num. 8.*

§. XVII.

§. XVII. Superioribus exemplis *duodecimo loco* accedit, quod, quæ jura à certa status publici dispositione dependent, eidemque velut intime innexa sunt, ea quoque, hac mutata, vim suam amittere necesse habeant. Dantur enim leges, quarum ratio sæpe unica in præsentis temporis & status conditione, usu ac circumstantia, consistit: quale legum genus Græci *εὐχρητα βίη καὶ χρόνος*, inventa vitæ & temporis, nominant. Agnoscit hoc discrimen Oppiæ legis disvasor, Valerius, apud Livium, *Lib. 34. c. 5.* esse leges, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sint; esse iterum quas tempora aliqua desiderant, leges veluti mortales ac temporibus ipsis mutabiles. Ex illis nullam abrogari debere, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit. Ex his, pergit, quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat; quæ in bello pax; ut in navis gubernatione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui sunt. Momenta ergo rerum & inclinationes temporum præcipuum sunt & politici hominis, & prudentiæ legislatoriæ, & artis quoque leges dextre interpretandi applicandique, caput: nec illi publicis rebus semper commodi existunt, qui vel corruptissimæ reipublicæ tempo-

anti-  
e usus  
libel-  
gister,  
nugis  
quod  
icit le-  
tex fe-  
ferant  
n, &  
ttatur,  
noc ca-  
ur lex;  
ad ab-  
a dicti-  
nemo  
aliquid  
per est  
am er-  
rius jus  
erato-  
r, qua-  
om. III.  
d L. 27.

§. XVII.



ra ad exemplum integerrimi moris exigunt; vel cum Catone tanquam in Platonis regno, non in Romuli fece, sententiam dicunt. Confer pluribus celeberrimum virum, Joh. Phil. Datrium, tum in erudita, *de venditione liberorum*, diatriba, *cap. 3.* tum in egregio tractatu, *de pace publica*, *cap. 5. n. 6. & seqq.* ubi varia legum, cum mutatione status abolitarum, tradit exempla.

§. XVIII. Vicinum superiori est *tertium supra decimum* exemplum, ubi scilicet quis temporali saltem imperio fungitur, adeoque, cum hujus abrogatione, legum quoque, quas tulit, auctoritas evilescit. Exemplo hic nobis, cum edictis suis, sunt Praetores Romani. Horum enim annalis durat erat auctoritas: proinde etiam edicta eorum terminum ex jure civili antiquo, & ante quam sublatis edictis annuis, jussu Hadriani Imperatoris substitutum edictum perpetuum, utque ex eo jus redderetur, mandatum fuit, habebant annum unum. Nimirum quemadmodum cogebantur Praetores initio magistratus exprimere, quidquid ad universam suam totius anni jurisdictionem pertineret; postea autem regulariter neque addere, neque detrudere vel immutare quidquam de semel proposito edicto ipsis licebat: (quod quidem initio fiebat,



bat, multisque fraudibus pandebat viam) ita robur  
 edicta illa suum viresque, simul ubi Prætor magi-  
 stratum deposuisset, amittebant; neque ex illis edi-  
 ctis jus postmodum & amplius reddebatur. Et  
 hoc quidem propterea fiebat, ne alias Prætor, ut-  
 pote magistratus, jus majestatis, & potestatem  
 constituendi juris, ferendarumque legum sibi ar-  
 rogaret solus; cum tamen hæc res ad sanctissima  
 populi reservata spectaret; insuperque credibile  
 fit, principio nihil aliud fere, quam *quod ad formam*  
*& modum juris dicendi pertineret*, Prætores pro-  
 ponere potuisse; & successu denum temporis e-  
 dicendo simul jus constituisse. Quocirca edicta  
 eorum effectum & jura legis habebant, dum &  
 quamdiu jure magistratus secundum edictum su-  
 um jus dicebant; ablato deinceps ab eis magistra-  
 tu, expirabat etiam edictorum vis & potestas lega-  
 lis, & ut Cicero ait, finem adferebant iis Calendæ  
 Januariæ, quibus creati magistratus novi, & sub-  
 stituti Prætores pro jurisdictione sua edictum aliud  
 proponebant. Conf. Jan. Vinc. Gravina, *de ortu*  
*& progressu jur. civil. lib. I. §. 38.*

§. XIX. Décimo quarto illud etiam de le-  
 gum vi atque efficacia omnium fere consensu re-  
 ceptum est, ut si lex aliqua fundetur in præsumtio-



ne aliqua facti, quod factum tamen revera ita se non habeat, tunc ea lex non obliget; quia scilicet, veritate facti deficiente, deficit totum legis fundamentum, ipsiusque legislatoris voluntas, sine qua sanctio nulla potest intelligi. Quando autem lex in tali praesumptione, tanquam causa impellente, sit fundata, ex eius materia, verbis, aliisque circumstantiis est colligendum. add. Grot. *de Jure B. & P. L. 2. cap. 11. §. 6.* ubi etiam docet, quod similiter, si promissio aliqua fundata sit, in praesumptione quadam facti, quod non ita se habeat, naturaliter nulla ejus sit vis; quia omnino promissor non consensit in promissum, nisi sub quadam conditione, quae re ipsa non exitit.

§. XX. Praeterea *decimo quinto* illud extra controversiam positum est, quod non humanae solummodo, sed etiam quaedam divinae leges, sub tacita hac conditione latae intelligantur, ut non obligent in extrema & inevitabili necessitate. Intelligimus autem per hanc ejusmodi statum, in quem quis sine culpa sua prolapsus, & ex quo tamen summum periculum vitae, membris aut rebus ipsius imminet, quodque non nisi unica ratione evitare licet, nimirum vel suscipiendo actum de jure prohibitum, vel omittendo, quod a lege injunctum erat,

erat, officium. Sane & benignissimus supremus-  
 que Legislator Deus, & Rector quoque alicujus  
 civitatis, ob oculos habuisse censetur conditio-  
 nem naturæ humanæ, & quam non possit non ho-  
 mo refugere & amoliri illa, quæ ad sui destructio-  
 nem tendunt. Ea itaque ex causa leges in genere  
 latæ judicantur excipere casum necessitatis, seu non  
 obligare, quando ipsarum observationem comi-  
 taturum esset malum, humanam naturam de-  
 struens, aut communi hominum constantia supe-  
 rius: nisi vel expresse vel propter negotii naturam  
 iste quoque casus sit comprehensus, prout v. g. vi-  
 tæ conservandæ causa nihil faciendum est quod  
 honorem Divini Numinis lædat. Quod ad reli-  
 qua vero præcepta notum in vulgus etiam prover-  
 bium est: *necessitas non habet legem, cap. 5. in fin.*  
*X. de Consuet.* Hinc etiam veterum iudicio, ne-  
 cessitas magnum est imbecillitatis humanæ patro-  
 cinium; legem frangit, & quidquid coegit defen-  
 dit. Compara præclare hoc argumentum tra-  
 ctantes Grotium, *Lib. I. c. 4. §. 7.* Pufendorf. *de J.*  
*N. & G. Lib. 2. c. 6.* Fritschium, *de præsidio neces-  
 sitatis contra legem.*

§. XXI. Interdum etiam, quod *decimo  
 sexto* notare visum est loco, accidit, ut quamquam  
 lex

lex legi in se non sit contraria, casu tamen atque even-  
 tu haud raro ita collidantur, ut nulla ratione utri-  
 que satis fieri possit; adeoque altera vim & ob-  
 ligandi virtutum tantisper saltem necessario amit-  
 tat. Est equidem anceps & late diffusa hujus rei  
 disputatio, nimirum ad intelligendum, quibus-  
 nam casibus haec vel illa lex obligandi potestatem  
 suumque adeo officium perdat; ceterum brevis-  
 simis tamen rem ita definire licet: quod lex nobi-  
 lior & superior in collisione praeferrī debeat legi in-  
 firmiori ac ignobiliori. Fortissima autem omni-  
 um sunt officia hominis erga Deum; itaque reli-  
 qua omnia ab hisce vinci par est. Quam ob caus-  
 sam, quod supra jam dixi, nihil quidquam facien-  
 dum est, quod honorem Dei laedat, adeoque huic  
 praeepto officia erga nosmet ipsos, & alios homi-  
 nes, semper veniunt postponenda. Ceterum ubi  
 inter haec etiam aliqua exoritur pugna, tenendum  
 pro regula est: quod in paritate causa melior sit  
 conditio propria, seu amor incipiat à se ipso. Plura  
 desiderantem ablego ad eruditissimam commenta-  
 tionem B. Hertii, *de Collisione legum, qua habetur*  
*Opusculorum Volum. 1. Tom. 1. pag. 129.*

§. XXII. *Decimum septimum* propositi ar-  
 gumenti exemplum est, si lex in rigore sua accepta,  
 cum

cum manifestissima conjuncta foret injustitia, adeoque temperamento æquitatis, leu interpretatione legis restrictiva, opus sit, qua monstretur, casum aliquem peculiarem sub lege universaliter concepta, ex præsumta legislatoris voluntate, non comprehendi, istamque adeo propter hæc vel illa circumstantiarum merita non esse obligatoriam, eo quod alias absurdi quid inde foret secuturum. Quum enim non possint leges ita scribi, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, illis comprehendantur; sed sufficiat, ea, quæ plerumque accidunt, contineri, ut est in lege 10. *D. de LL.* ideo judices, quorum est generalia legum decreta, ad speciales casus applicare, debent à lege excipere, aut, si MAVIS, exceptos declarare, ejusmodi casus, quos excepturus fuerat ipse legislator, si præsens in judicio adesset, aut tales casus ab initio prævidisset. Justitia enim legi obsequitur non secundum verba, sed ad mentem legislatoris. Ex quo simul apparet, quodnam verum sit æquitatis hoc quidem sensu acceptæ, fundamentum, quoque nomine ea ab æquitate cerebrina, *von der Hirnbilligkeit*, discriminetur. adde Pufend. in laudato superius tractatu, *de offic. hom. & civ. Lib. 1. cap. 2. §. 10.*

§. XXIII. Ex post facto interdum effectu

G

luc

suo privatur sanctio per indulgentiam, seu, ut communiter appellant, dispensationem. Quæ nihil aliud est, quam actus ejus, qui potestatem habet ad tollendam legis obligationem, in personis, factis, aut rebus particularibus, seu singularibus, quatenus id fieri potest sine imminutione justitiæ, aut publicæ utilitatis. Quæ ex definitione perspicuum est, (quod *decimo octavo* loco heic mihi monere vilum) insignem plane differentiam intercedere inter æquitatem & indulgentiam; illa enim ostendit, quod casus sub lege nunquam fuerit comprehensus, hæc ab obligatione legis eum eximit; illa fit ab interprete & judice, hæc à summo imperante; illa fieri debet, hæc potest. Consule, si videtur, pluribus Hugonem Grotium, in libro singulari, *de Aequitate, Indulgentia, & Facilitate*. Quoniam vero dispensatio partem constituit potestatis legislativæ, parique velut passu cum hac ambulat; manifeste sequitur, non posse principem obligandi virtute privare leges divinas; sive hæc ex lumine naturalis rationis, sive sacrae revelationis, nobis innotescant. Sed hæc in præsentibus pluribus persequi nihil ad institutum meum atinet.

§. XXIV. Hoc etiam, *decimo nono* loco, expedit.

peditum esse reor, quod obligatio legis regulari-  
 ter saltem referatur ad actus futuros, non ad prae-  
 teritos, ne scilicet ante prohibitionem ignorantes in  
 damnum incidant, *cap. 1. § fin. X. de Constitut. &*  
 quia in praeteritis jam quaesitum subditis jus est,  
 quod nec princeps cuiquam sine suo scelere auferre  
 potest. Deinde revera quoque talismodi lex ob-  
 ligationem induceret ad impossibilia, quippe  
 quod factum infectum fieri nequeat. Praeclare  
 hinc Imperatores in lege 7. *C. de LL.* sanciunt: *Le-*  
*ges & constitutiones futuris, certum est, dare for-*  
*mam negotiis, non ad facta praeterita revocari.* Est  
 tamen notabilis hujus rei limitatio: *nisi quid nomi-*  
*natum & de praeterito tempore, & adhuc pendentibus*  
*negotiis cautum sit.* Exemplum est in lege *fin.*  
*Cod. de pactis pign.* ubi Constantinus Augustus in  
 haec verba rescripsit: *Quoniam inter alias captio-*  
*nes praecipue commissoria pignorum legis crescit aspe-*  
*ritas, placet infirmari eam, & in posterum omnem*  
*ejus memoriam aboleri. Si quis igitur tali contra-*  
*ctu laborat, hac sanctione respiret; quae cum prae-*  
*teritis praesentia quoque repellit & futura prohibet.*  
*Creditores enim re amissa jubemus recuperare, quod*  
*dederunt. add. leg. 17. §. 4. & l. 21. in fin. Cod. de SS.*  
*Eccles. l. 17. Cod. de fid. instrum.* Secunda vero su-

perioris pronuntiati limitatio est, si lex nova veteris legis solum sit declaratoria. Hinc quoties lex vel constitutio nova jus antiquum firmat & declarat, tum non solum ad futura, sed etiam ad praeterita pertinet: nam qui veterem legem saltem interpretatur, nihil mutat aut novi constituit. *arg. l. 21. §. 1. D. Qui Testam fac. poss. Novell. 19. Praefat. in fin. add. Gail. Lib. 2. observ. 9. Tabor, de altero tanto, Parte 3. §. 7.*

§. XXV. In dilectationem hoc loco veniat, utrum ligandi virtute nihilominus polleat lex, tametsi ille, ad quem ea refertur, jam luerit poenam, legis transgressioni statutam? Prajudicialis videtur esse quaestio, an obligatio legis obedientiam simul & poenam, an vero alterutram solummodo requirat? Nobis verior videtur sententia, regulariter eandem, qua partem definitivam, qua vindicativam, legis esse obligationem: adeoque nexibus ejus per praestationem poenae neminem liberari. Apertissimum sane est, non posse, qui propter furtum commissum fustibus caesus est, posthac delictum hoc impune perpetrare. Neque enim ex delicto suo quis meliorem facere debet suam conditionem, lege 134. §. 1. de R. I. Et sanctiones poenales sunt velut sepimentum legum, adeoque



eoque illas non tollunt, sed firmant. Confundunt etiam, qui aliter sentiunt, poenas legales, cum testamentariis atque conventionalibus: namque in his demum verum est, quod poenæ præstatio obligationem tollat. Accedit etiam hoc, quod ad obedientiam legi præstandam quis per se obligatus; ad poenam autem spontanea legis violatione, quasi singulari ratione, quis semet ipsum sciens volensque obliget. Quanquam enim poena infligenda est invitis, tamen hoc ita accipiendum, si poenam in se spectes, ac præiens tempus, quo gula laqueo vel ferro fragenda est; verum si causam poenæ, hoc est, ipsum delictum consideres, illa invitis non infligitur. Qui enim scit, actum aliquem quid operari seum perficit, utique eo facto velle videtur, quod operatur.

§. XXVI. Venio ad *vigesimam* legis non obligantis speciem. Hac vero in eo consistit, si legislator seriam quidem voluntatem suam, de faciendo aliquo vel omittendo, subjectis significat, sed hoc tamen magis per modum consilii aut admonitionis, quam legis proprie sic dictæ. Ita svaedet etiam interdum sive consilium dat Justinianus; sed ut amicus, non ut legislator. Extat hujus generis consilium adversus substitutorum insidias, *in*

§. 3. *Inst. de Pupill. substit.* Similiter Theodosius M. in l. 2. §. fin. *Cod. Theod. de secund. nupt.* svasit tantummodo, ut & mares abstineant secundis nuptiis, extantibus liberis; vel ut eadem subeant, quæ mulieres. Svasio autem legis non est conjuncta necessitati. Ideoque quod svaserat Theodosius M. ei demum Theodosius Junior perfectæ legis necessitatem adjecit, in lege, *generaliter*, §. *Cod. de sec. nupt.* Dantur vero plura legum svasoriarum exempla. Sic in Nov. 22. *cap. fin.* svasit Imperator, liberis primi matrimonii non minus relinquere, quam secundi. Verba legis sunt: *hanc itaq; partem de æqualitate* (in fonte est, *περὶ τῆς ἰσότητος*, de æqualitate seu pari conditione) *filiorum ex prioris & secundo matrimonio venientium, adhortantes potius, quam sancientes, dicimus: συμβουλευόντες μάλλον, ἢ νομοθετούντες, Φαμέν* De cetero confer *l. 1. D. de Inoff. testam. l. 24. D. de Rei vindic. l. 17. §. 1. D. de R. N. l. 3. Cod. de Transact.* Spectant huc etiam Evrematica Modestini, quæ itidem svasiones sunt & consilia, in quibus non inest sequendi necessitas. Add. Cujac. ad Nov. 22. & in *Observat. lib. 12. obs. 32.* Marcil. ad §. 3. *Inst. de Pupill. substit.*

§. XXVII. Quemadmodum vero non omnia, quæ in juris nostri arte svasentur, perfectæ legis,

legis, affirmativæ scilicet, rationem habent: ita quoque, *quod vigesimo primo loco* observandum est, non omnia quæ à jure consultis nostris disvidentur, in vim legis prohibitivæ, & ad pœnam sustinendam, obligant. Singulare hujus rei exemplum occurrit in expositione partus & necæ apud veteres. Nimirum quamquam in Urbe Roma non licuit parentibus ex lege Romuli, ac XII. Tabularum, necare aut exponere infantes recens natos, in primis masculos & ex sequiore sexu filias primogenitas, nisi illi infantes à vicinis quinque proximis judicati essent monstrosi, debiles, aut insignes ad deformitatem; ac si contra facerent parentes, constitutæ erant legibus pœnæ: tamen insecutorum temporum mores istas leges usque adeo in potestatem suam redegerunt, ut parentibus facerent jus, liberos recens natos, qualescunque essent, exponere aut necare, sine metu criminis. Interim ne id scelus in se admitteret pater, apud sapientes ac bonos in juris præceptis omnino fuit. Hæcve sensu scribit Paullus *l. 4. de agnoscendis & alendis liberis: Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed & is qui abjicit, & qui alimonia denegat, & is quis publicis locis misericordia causa exponit, quam ipse non habet.* Nihilominus

CIUS

sius  
valit  
nup-  
ant,  
est  
erat  
per-  
iter,  
sva-  
adet  
s re-  
banc  
ptos,  
prio-  
antes  
uäl-  
i. D.  
i. D.  
tiam  
sunt  
sitas.  
obs.  
on o-  
fectæ  
egis,

cius etiam sub Christianis Imperatoribus, & nominatim sub Constantino, fuit licita & impunita infantum expositio. Primi autem, quod haecenus pro vitio saltem, non pro crimine habebatur, palam prohibuerunt Imperatores, Valentinianus, Valens, & Gratianus *l. 2. C. de infantibus exposit.* Compara, si lubet, pluribus haec exponentem praestantissimae eruditionis Ictus Gerhardum Noodt, in, *de partus expositione & nece apud veteres*, libro singulari; ubi tum in praefatione, tum *cap. 10.* perspicue monstrat, inter illa, quae dixi, praecepta ac juris regulas, seu leges, ingentem esse differentiam: habere enim regulam legis necessitatem, ac, si negligatur, vigore publicae disciplinae vindicari; praeceptum vero neque obligare quem jure civili, neque cui poenam minari, nisi divinam; capite autem septimo laudatus vir complura in nostram rem cumulavit exempla.

§. XXVIII. Sequitur ut paucis dispiciam, an etiam inter leges divinas quaedam sint, vera obligandi potestate carentes. Sane pontificii multus est de consiliis evangelicis sermo. Sic Bellarminus, *lib. 2. de membr. eccles. milit. cap. 7. Consilium*, ait, *perfectionis, est opus bonum, à Christo non imperatum, sed demonstratum, non mandatum, sed*  
comē

*commendatum &c.* Verum hæc nostrates Theologi non admittunt, meritoque contendunt, omnem institutionem atque doctrinam divinam, efficacem in se habere obligandi vim, sequendamve esse necessario. v. B. Chemnit. *Loc. de Discrimine precept. & consil.* B. Musæus, *Disp. 1. de Commun. sub utr. §. 7.* Instituta vero Apostolorum particularia h. e. ad decus & ordinem hujus vel illius ecclesiæ unice spectantia, uti est illud de velandis mulieribus, I ad Corinth. XI. huc non pertinent: quo de argumento ex nostratibus præclare egit Jac. Gothofredus.

§. XXIX. Quid vero de jure naturæ hac parte dicendum. Sane in moralibus etiam rebus consilio locum esse, nec omnia legibus præscripta, admittit Grotius, *Lib. 1. cap. 1. §. 9.* Plenissimus vero in hoc adstruendo est vir illustris, Christianus Thomasius, *Tom. VI. Obs. Halens. Obs. 27.* ut & in *Fundamentis Juris Nat. & Gent. Lib. 1. c. 4. alibi que passim.* Ego breviter sic sentio: Humana natura est mater juris naturalis; huic enim quidquid per dictamen rectæ rationis debetur, juris naturalis est, adeoque præstandum. Præclare hinc Seneca, *tunc demum, inquit, intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum sit, cum didiceris, quid*

H nature

*natura tua debeas ; epist. 118. 120. 121.* Tueor hinc cum veteribus, summam hujus disciplinæ propositionem esse : *Natura humana convenienter vivere ;* potestque primum hoc principium multis oppido argumentis evidentissime demonstrari. Sicut autem ea quæ naturæ tuæ, animali pariter ac spirituali, debes, in ista propositione apertissime insunt ; ita quoque clarissime ex ea fluit, necessum esse, ut etiam in ordine ad Deum, naturæ quippe auctorem & conservatorem, nec non in ordine ad alios homines, utpote congeneres tibi, ejusdemque tecum naturæ participes, præceptum illud observes ; maxime quod ex illo fonte reliqua omnia officia pronissimo velut alveo promanant ; si ve ea ad naturam in se ac absolute spectatam, si ve ex hypothesi certi status aut instituti consideratam, referantur. Ceterum generatim, quæ naturæ debentur, duplicis generis sunt, perfectæ scilicet, vel imperfectæ obligationis. Perfectæ obligationis officia sunt, sine quibus natura humana salva esse vel subsistere plane nequit, v. g. officium de non lædendo vel semet ipsum vel alios, &c. Imperfectæ obligationis officia sunt, quæ expediunt naturæ, illiusque ad bene esse, ut ita loquar, pertinent ; quo loco, intuitu aliorum, sunt promiscua humanitatis

nitatis officia. Ist hæc utriusque generis officia si negligentur, sequuntur pœnæ naturales, majores vel minores, pro violati officii ratione; respondent enim hæc etiam pœnæ delictorum magnitudi- ni, & quidem regulariter secundum illud Poëtæ: per quod quis peccat, per idem punitur & idem. Interim certissimum est, nullum peccatum com- mitti contra jus naturæ, quin hoc simul committa- tur adversus naturæ humanæ felicitatem, & vice versa. Sicut autem omnis lex proprie sic dicta de- bet esse pœnalis; ita ex his apparet, omnia officia juris naturalis esse leges proprie sic dictas, hoc est, ad obedientiam pariter ac pœnam obligatorias; idque non tam ob manifestam utilitatis rationem, quam propter naturæ auctoris voluntatem: jun- ge Pufend. *de Off. H. & C. L. 1. C. 3. §. 10.*

§. XXX. *Vigesimum secundum* legis non obligantis exemplum præbet, quæ communiter *permissiva* appellatur; prout *permittere* etiam in- ter legis virtutes refertur *l. 7. D. de LL.* Sed enim hæc saltem respectu mei, & quatenus jus mihi dat, ad aliquid juste agendum, non est obligatoria; ceterum respectu alterius jubere quoque aut pro- hibere aliquid potest; quatenus videlicet tertius aliquis impedimentum mihi ponere velit, quo mi-

nus legis permissione & beneficio utar. Ita permittit mihi lex testamentum facere; quam ob rem qui mihi hanc libertatem circumscribere audet, à lege coercetur, sustinetque justam pœnam. conf. Nov. 115. c. 3. §. 9. add. Ulr. Huberum, *de Jure civitat. L. III. Sect. 1. cap. 2. n. 27.* ubi inter alia probe monet, permissionem differre à tolerantia: nam quod permittitur, id juris habet effectum; toleratur, quod lex impune saltem transmittit, ut avaritiam, invidiam, & similia.

§. XXXI. *Tertia supra vigesimam* legis non obligantis species est ubi ea exteræ civitatis populo præscripta, nostræ autem jura reipublicæ non est adepta. Non possum itaque B. Strykio, patri, subscribere existimanti, Imperatorum de feudis constitutiones, quæ in Longobardorum libellis habentur, eo quod tales sint, Germaniæ quoque Principes obligare. Magis vero à Scipionis Gentilis, aliorumque discedo sententia, qui tradunt, recensum regalium in constitutione Friderici II. 2. f. 56. non Germaniæ tantum, sed & ceteris applicari posse regnis, quoniam jura, quæ ibi recensentur, ad omnes supremos principes ex æquo pertineant: quod minus accurate & contra disciplinæ civilis scita. Illa namque regalia citato loco duntaxat



taxat recensentur, de quibus in Italia mota fuit  
 quaestio. Opportunum etiam hoc loco esset  
 ad disputandum, quousque civilis pariter atque  
 canonici juris se extendat auctoritas ac obligatio.  
 Verum contrahenda mihi sunt scriptiois vela,  
 transmittique silentio debent plura alia, ad thema-  
 tis mei illustrationem comparata argumenta. In-  
 terim, ut brevissimis me expediam, standum esse  
 propter receptionis vim, in causis privatorum, ar-  
 bitror, utriusque juris illius dispositioni, in quan-  
 tum non repugnat juri divino naturali vel revelato,  
 juri item patrio generali vel speciali, scripto vel  
 non-scripto. Contra in illis, quæ statum  
 publicum spectant, neque veteres Imperato-  
 res, neque Pontifices Romani audiendos esse,  
 persuasum habeo. Denique concludo: ipsos  
 etiam Germaniæ Proceres obligari jure civili,  
 canonico, & feudali, qua parte hoc usu ac ob-  
 servantia supremarum Imperii curiarum vim  
 & auctoritatem juris publici nactum est.

Tantum hac vice.

SOLI DEO GLORIA.

H 3

PRAE-

PRAESIDIS EPISTOLA

A D

NOBILISSIMUM, DOCTRINAQVE ET VIRTUTE  
ORNATISSIMUM

DISSERTATIONIS AVCTO-  
REM AC DEFENSOREM.

**M**eum in Te affectum publica  
scriptione testor, svavissime  
BOCHI. Dignus veroes, qui non  
à me tantum, sed & ab omnibus,  
qui virtutem Tuam propius no-  
runt, maxime ameris. Pulcher-  
rimæ namque in Te insunt animi  
dotes: easque antehac in Musis Tu-  
bingensibus gnaviter excoluisti.  
Post in nostro etiam Lyceo probe  
memor fuisti nominis, quod inter  
juris cultores professus; idque, vel  
me

me tacente, publicum eruditionis  
specimen præclare loquitur. Sane  
in frequenti floridaque hujus loci  
Juventute, quæ non solum audien-  
di avida, sed &, quod Dei munus,  
modestimoris, meliorisque vitæ ex-  
emplo, Academiæ Jenensis famam  
magis magisque amplificatum it,  
Tu primas usque partes strenue se-  
ctatus es. Et quidem legitimæ di-  
sciplinæ viam, meo ductu, sic in-  
gressus, ut per amœnissimam natura-  
lis, ac civilis, feudalis item, publici,  
& canonici juris stadia, cursum ab-  
solveris feliciter; additis quoque,  
velut coronidis loco, causas in foro  
agendi præceptis. Gratulor itaque  
Tibi de rebus egregie actis: &  
quum Academicis etiam dignus sis  
hono-

honoribus, ut amplissimum virtutis  
 industriæque Tuæ fructum conse-  
 quaris in patria, precor ex animo.  
 Vale, Amicorum carissime, ac me  
 amare perge. Dabam Ienæ  
 die xxvi. Septembris  
 M D CC XIX.







Nur für den Lesesaal!

ULB Halle

003 594 416

3




5b

WD 18 kat 12









*F. 25.*  
*J. 3*  
*G. H. num. 21.*  
*2*  
*1719, 16*

DISSERTATIO IVRIDICA,  
DE  
**LEGE NON OBLIGANTE,**




GERMANIS:  
Von denen Gesetzen welche nicht verbinden.



QVAM  
PRAESIDE  
**CASPARE ACHATIO BECKIO,**

ICTO CELEBERRIMO IENENSI,  
DIE SEPTEMBR. ANNI CIO IO CC XIX.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVVSITIONI SVBMISIT  
R. A.  
**ERNESTVS FRIDERICVS BOCH,**  
DVRLACO-MARCHIVS.

*F. 25.*



KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVIVALLE



I E N A E,  
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1751.

